

**Dissertatio medica inauguralis, de glandulis p. n. patulis ... / solenni  
subjiciet examini Ernestus Josephus Albeckh.**

**Contributors**

Albeckh, Ernest Joseph, active 1688-1689.  
Camerarius, Elias Rudolph, 1641-1695.  
Universität Tübingen.

**Publication/Creation**

Tubingae : Typis Martini Rommeii, [1689]

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/g5eu89yf>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>





Digitized by the Internet Archive  
in 2019 with funding from  
Wellcome Library

<https://archive.org/details/b30767970>



Q. D. B. V.

DISSERTATIO MEDICA  
INAUGURALIS,  
DE

GLANDULIS

P. N.  
PATULIS.

Quam,  
DEO JUVANTE,  
*Consensu Amplissima Facultatis Medicae*  
*in Per-Antiqua ACADEMIA TUBINGENSI,*

PRÆSIDE,

DN. ELIA RUDOLPHO  
CAMERARIO,

Phil. ac Med. Doct. Prof. Publ. Ord. Consil.  
& Archiatro Würtemberg. Facult. Med. p. t.  
DECANO.

*Dn. Patrono atque Præceptore omni obsequii cultu et aetate*  
*prosequendo.*

PRO LICENTIA,

Summos in Arte Medica Honores, Insignia ac Privilegia  
DOCTORALIA capeffendi

d. Octobr. Ann. 1689. H. L. solit.

*Solenni subjiçiet Examini*

ERNESTUS JOSEPHUS Albeckh/ Aug. Vind.

TUBINGÆ,  
Typis MARTINI ROMMEII.



DISSEMINATIO MEDICA  
IN AMERICA

GLANDULIS

PATULLIS

DEO GRATIAS  
Causa de Glandulis Medica  
in America nonnullis

ON ETIA RUDOLPHO  
CAMERARIO

MDCCCXXII. Profr. Phil. Old. Cogn.

De Glandulis Medica  
De Glandulis Medica

PRO LICENTIA  
Causa de Glandulis Medica

Obd. Martinus W. L. Van

ERNESTUS JOSEPHUS JOSEPHUS

THE MARTINUS JOSEPHUS





## PROOEMIUM.



*Denologia, pars relicta ferè Medicis Anthro-*  
*pologia, sedulis Anatomicorum manibus id de-*  
*bet, quod cum Affinibus Angeiologia, Neurolo-*  
*gia, Myologia, Osteologia &c. sensim magis in-*  
*clarefcet, doctrina explicandis functionibus ani-*  
*malibus omninò necessaria, nec minus tamen*

*difficultatis involvens quàm utilitatis. Quamvis autem sint ad-*  
*hucdum, quæ ad plenam ejus perfectionem requiri possint, & ab*  
*Hoc Illòve desiderata & indigitata fuerint, nova tamen subindè*  
*accedens lux eam ita illustrat, ut jactis talibus Anatomico. Phy-*  
*siologicis fundamentis benè superstrui possit affectuum prater na-*  
*turalium Pathologia propria doctrina. Hic enim est scopus Me-*  
*dici, non solum scire statum naturalem, sed & explorare agrum*  
*atq; curare; prior ut Curiosi scopus esse potest, quem suis inquisi-*  
*tionibus intendit, non sollicitus de aliis inde derivandis, sed sua*  
*speculatione contentus in ea subsistit; Ita posterius arripit Medi-*  
*cus, non neglecto aut pratermisso priore, sed presupposito. Cùm*  
*igitur juxta laudabilia Gratiolæ Facultatis Medicæ Statuta*  
*post exantlata examina sequi debeat Dissertatio Inauguralis*  
*publica, quapropter jussu & Authoritate Ejusdem, ex tanto di-*  
*spositionum morbosarum, totidem gravium valdè difficulta-*  
*rum, numero selegi Glandulas p. n. patulas, sive feri nimia*  
*copiâ factam secretionem. Fac Triune Deus, ut feliciter cedat,*  
*quod honori Divini Tui nominis dicatur, quod proximi commodo,*  
*veritatis detectioni destinatur.*



T H E S I S I.

**P**ARTES, quæ subjecti vices hîc sustinent & præternaturaliter affici dicuntur, sunt *Glandula*, organa illa, quæ mediante structura sua ex diversis liquidis appulsis, ope variorum vasorum determinatum humorem ad peculiare opus secernunt: Tales copiosè per corpus sparsas in ventribus & artubus, ambitu ejus & intimis quoque pentalibus demonstrant Anatomici, insigniter non numero solum sed & dignitate auctas hoc tempore, quo earum ordini è nobilioribus visceribus accessit Cerebrum, Hepar, Renes. &c. Ita ut longius se extendant hodiè quàm olim, ubi, Naturâ illarum minus perspectâ, in numero, structura & usu ad ignobiliores partes, detrusæ fuerunt. Conveniunt autem ipsæ in consimili ratione structuræ, quâ earum quælibet deprehenditur duplici vasorum advehentium, duplici item revehentium genere prædita, indè arteria & nervo, hinc vena & vase excretorio. Advehit arteria rivulum Massæ sanguineæ, & hic deponit ex diversitate confusarum particularum quæ accommodæ magis & congruæ, concurrunt nervi copiosi ad partes glandulosas tendentes, vehentes hinc etiam liberaliter spirituosum suum atque impetum faciens, Hippocraticum principium: Quod utrinque secessit sive ob configurationem solam pororum sive accedens etiam fermentum, de quo epicrisin videsis *Excell. Dn. Præsidis Disp. de Coryza sicca*, excretorio ductu, vel lymphatico vel peculiari alio, hîc in cavitatem quandam aut extra corpus, ibi in Oceanum undè venerat, revehitur, residuum sanguinem, dum commisso munere ordinario fungitur, revehente vena. Superest intermedia substantia spongiosa, rara, laxa, ut acutiores censent, complicatura vasorum capillarium, congeries variè conglomeratorum vasculorum, in quibus ope flexuosæ illius contorsionis secernatur & deferatur liquor in qualibet glandula secedens à sanguine.

I I.

Fluit ita in ambitu corporis sudor, in renibus urina, in ore saliva, in intestinis liquor pancreaticus, & qui sunt alii, singuli singularis & distinctæ magis minusve conditionis liquores, pro diversitate glandularum, quæ vel Reductrices vel Excretrices, (de nutritiis an, & quales aliàs.) Priores, quas *conglobatas* vocant, à figura sua æquali, globosa, non è pluribus conflata, peculiare id & elegans revehens vasorum



rum genus habent, quæ Lymphatica, huic seculo suæ inventionis gloriam debent, oriunda vel ex ipsis illis glandulis, vel ex interstitiis fibrarum ad aut in glandulas tendentia, partemq; lymphæ indè etiam vehentia, de quibus consule *Excell. D. D. Zelleri Admin. vasorum Lymph.* Posteriores s. *conglutinata* ob conjunctas plures minores unâ densâque membranâ & arctè cohærentes, s. *congregata* seorsim & areolarum instar sparsæ, s. *conglomerata* ex minoribus, singulis suum rivulum ad communem ductum mittentibus, membranarum ope laxius junctis & convolutis compositæ, singulæ & secernunt à sanguine liquores suos, & secretos excernunt passim suo officio destinatos, scilicet non sanguinis solum depurationi, sed & ciborum, chyli præparationi, mutationi, perfectioni.

### III.

Hoc glandularum munus est, quod si debitè expleant, ad integritatem machinæ plurimum contribuunt, salvaque tali secretionem plura mala præcavent & avertunt. At suos etiam nec paucos patiuntur morbos, sub dispositione p. n. impeditæ vel planè non vel perverse munera sua obire valent, dum modò nimis parvâ & exiguâ quantitate serum proliciunt, modò econtrâ copiosè nimis fecerunt & evacuant patulæ p. n. glandulæ. Per has, quas hoc loco considerandas sumimus, non intellectas volumus in genere glandulas, quatenus quibuscunque patent causis morbificis, & quodcunque vel à natura huc protrusum vel sensim collectum admittere coguntur, quales dispositiones nonnunquam siccitas potius & fluxus suppressio comitari & sequi solet, sed secretionem nimiam, quæ in illis contingit, quâ serum copiosius admittunt & emittunt.

### IV.

Causa patularum ita glandularum, ut major indè fluat lymphæ copia, non una est sed multiplex, nunc à parte magis *materiæ*, nunc *organi*, nunc utriusque culpa. Huc enim contribuit ipsius *seri* in toto corpore *abundantia*, quæ ut reliquas partes ita & glandulosas inundare potest & solet, adeoque & ipsas glandulas laxando, & copiam materiæ suppetitando copiosioris fluxus causa fit. Ut ergo materiam in statu naturali derivamus à Massa sanguinea, cui etiam nervi suum, quod vehunt actuosum, debent, ita ab eadem in statu p. n. copiam illam accersimus, à sanguine sc. seroso, pituitoso, in quo proportio purpureæ & serosæ portionis à communi aliàs & ordi-



naria ratione recedit, hac præ illa excedente & peccante vel levius adhuc ob statum naturalem sub temperamento humido, phlegmatico eò inclinantem, vel gravius, sub intemperie dicta frigida humida, qualis in & cum sanguine reliquo corpori communicari, & modò pluribus modò paucioribus glandulis, pro singularum vi resistendi fortiore vel debiliore, insinuari solet, & cum nec serum omne per venas redire nec intra glandulas contineri possit, tanta copia exsudare cogitur.

V.

Sequitur alterum sanguinis vitium, quod illius *fusionem* aut *præcipitationem* dicunt. Sanguis in statu naturali præter variarum & diversæ sortis particularum, quibus conflatur, copiam, requirit earum quoque debitam mixtionem, quandam unionem, ut conspirantibus illis & circularis & intestinus motus commodè absque turbatione peragi possit, nec portiones plures aut citius secedant, quàm statæ sani corporis leges postulant. Contingit autem in opposito statu haud rarò turbari illam mixtionem, fundi aut præcipitari quasi sanguinem ut serosam portionem facilimè secedere & diffluere patiatur, & per hoc illudve emunctorium elabi. Illustrari solet talis seri conditio exemplis variorum corporum, quæ ab extus corpori illata similes mutationes instituunt: Ita liquatur & funditur serum à *Mercurio*, salivationem instituyente, cum ab heterogeneis sanguini illatis particulis, utut minimis & subtilissimis, activis tamen maximè, eoque ipso aptioribus quæ parvulos etiam ductus referare queant viscidumque resolvere, sui juris fiunt serosæ partes, & ab aliarum consortio facile secedunt, excernendæ per glandulas (sæpiùs non semper) salivales. Huc etiam spectant *Purgantium* & *Diureticorum* similiumque medicamentorum resolventium, quæ serum quoque in motum ciere & fundere solent, modi agendi, quos simili lactis a sale turbati & in serosam portionem præcipitati illustrare solent.

VI.

Ex parte *organi* serosæ colluviei occasionem dare solent *varia* in partibus illis morborum species. Spectat huc *intemperies* glandularum dicta frigida & humida, vel à sanguine tali supra citato, vel causa aliâ, nonnunquam externâ, inducta; Quicquid sc. laxiorem ipsius glandulæ texturam, patulos magis ductus atque orificia pro-

curare



curare potest, ut ob hoc Conformationis vitium facilius admittant humores & continere nequeant, facilemque concedant elapsum. Quibus ex tertia morborum specie accedit aliàs quoque soluta unitas & irritatio, vellicatio, quâ ad excretionem stimulantur orificia & sollicitantur, fibræ expultrices ad sui contractionem coguntur, & frequentiores justo excretiones & ejaculationes instituunt. Huc referendum quoque est impedimentum motui sanguinis in venis positum, quod serum in vicinis glandulis copiosius secerni facit, vi *Experimenti Anatomici*, quo ligatis in vivo animali venis jugularibus, toto reliquo vitæ tempore non solum lachrymæ copiosius fluxisse notatæ fuerunt, d. etiam ex ore plurima saliva, non aliter quam si mercurio assumpto fluxus ille concitaretur, deprehensis post mortem musculis omnibus & glandulis sero limpido maximè distentis & admodum pellucidis, qualia phænomena etiam *injectiones* in partes siphonibus factæ ligatis venis, circa lymphaticos aliosque excretorios ductus exhibent. Talis vinculi vices obire posse creduntur nervuli vasa sanguinea ambientes & cingentes, vel internæ potius & propriæ vasorum fibræ carneæ motrices, dum à fluido suo repletæ & abbreviatæ, fringunt & angustant cavum; ut & tardior sanguinis motus & obstructions.

## VII.

Ut talis fiat sanguinis & glandularum dispositio p. n., plura quidem suo modo contribuere possunt, præ reliquis tamen è classe causarum morbificarum remotiorum efficacia sunt citatum prius *Temperamentum*, in quo serosæ partes dominantur reliquis, eas inundant & obtundunt, pronum hinc quod labi possit in gradum illum, quem vocant intemperiem; *Sexus*, muliebris, ut plurimum humidus magis, accedente quoque victus genere, quod ad vitam sedentariam magis ducit, genesi & collectioni serosæ copiæ maximè favet; *Ætas* & *puerilis*, quæ copiosiori scatet humido, alias in statu p. n. non solum plura liberalioris secretionis exempla monstrat, sed & infantes vix benè degeret testatur, nisi hæc illæve glandulæ copiam plorent pituitæ, & *senilis*, ubi siccitas non impedit, quo minus abundare dicatur sero excrementitio, morbis indè oriundis obnoxia. Inter *Astra* (de quorum influxu vigent lites nondum decisæ, propter obstare visam quorundam experientiam) *Luna* præprimis humorum domina

VOCAB.



vocata accusabitur, ratione insigniorum suarum phasium & cum planetis aspectuum. Agit autem in corpus nostrum mediante *Aere*, qui humidus resolvere, laxare solet, frigidus poros stringit, Diaphoresin sistit serumque cumulat, quin & particulis suis rigidis, salinis fundere, irritare valet. *Cibus & potus* communes illæ sanitatis destrutrices causæ quantum hîc valeant, materiam suppeditando, cumulando, cruditatum proventum augendo, alias etiam fundendo & stimulando quilibet experiri solet sæpius; *Spirituosa* in specie nimis crebro & liberaliter hausta, quod post se relinquunt affectum frigidum, feri fusionem, glandularum laxitatem notarunt practici. His junge errores qui circa *quietem, somnum, mœrorem, tristitiam, lubricationes* contingere solent, ut & solitas *evacuaciones* suppressas. E rerum p. n. ordine plura quidem serum dicto modo peccare faciunt, experiuntur tamen id quàm maximè *Cachectici*, quorum vappescens jam dum sanguis & præoleosis sulphureis, viscidas potius ac inertes aqueas, varias salinas imbibentes, possidet in copia particulas, quibus facile has illasvè glandulas inundare, relaxare, irritare, copiam humoris suppeditare potest; Huc etiam refer *Hypochondriacos*, sputatores dictos, quod vel otiosi dum aliis cogitationibus inhærent sensim assuefiant salivationi, vel à sanguine ob particulas acidas terreas copiosè præcipitetur serum; huc & *febricitantes*, undè ob copiosam feri fusionem & excretionem per urinam, sudorem, sputum, unà cum febrili turbatione febres audiunt *uretica, sudatoria, sputatoria, Catarrhales*, ob symptomata juncta febrili æstui, tussim, sternutationem, coryzam, sputi rejectionem copiosam.

### VIII.

Fiunt tales humorum fluxus modò extra corpus, modò intra illud, s. ad partem quandam decumbunt, & pro feri conditione solent vellicare, rodere, vel gravare, obstruere, vel stagnare, colligi in interstitiis partium vel earum cavitatibus, undè *hydatides, hydrops, anasarca*. Effundentes copiam talis feri glandulæ pro diversitate partium in quibus locantur affectibus etiam non paucis occasionem dant. Intra cranium, præter blandam quæ naturaliter cerebrum oblinuit humiditatem, in statu morbofo collecta aqua s. substantiæ ipsius s. glandularum soboles, post mortem sectione deprehensa, in cadaveribus *Hydrocephalo, Epilepsia, Apoplexia, Mania &c.* defunctorum patulas



tulas quoque has partes, secretamque hîc lympham demonstrat; Extusemunctoria plura locata, plures etiam fluxus patiuntur, ut fumi, vapores, pulvis, arenulæ, in oculos illapsa sensiles istas fibrillas irritando vel invititis *Lachrymas* extorquent, ita p. n. quoque copiosæ illæ & involuntariæ modò fluunt, sub vulneribus, irritatione, erosione glandularum in oculo & palpebris, affectu sæpè diuturno, ob negatum sero fluxum ad partes alias, huc potius, ut facîle & sæpè fieri potest & solet, ob patentiam inclinantem. Pars indè liquoris per patulos ductus ad nares ferri solita, cum illo quod ex propriis glandulis, ex ipsa tunica pituitaria dicta accedit, *Coryzam* facit; Quin hujus omninò loci est famosa illa *Catarrhorum* doctrina, quæ generalibus prius fundatis commodè subordinari potest, cum omnes illæ catarrhorum species, quæ propriè & vi nominis tales defluxionem quandam seri copiosioris in has illasve partes dicunt, patulas glandulas & plus justo secernentes abundè confirment, Massamque sanguineam dicto modo dispositam arguant sive immediatè ex ipsa, sive Quidam quoque mediatè, ex cerebro, deriventur; Copiosæ enim sunt in supremo ventre glandulæ, & propriis excretoriis ductibus & vasis lymphaticis præditæ, quibus aliarum instar copia seri gravatis vel irritatis, similes quoque effectus sequi necesse est.

IX.

In ore *Ptyalismus*, salivæ copia, tot in maxilla superiore & inferiore sitas glandulas earumque vasa excretoria, in thorace *Tussis*, *Dyspnœa*, *Asthma*, faucium, asperæ arteriæ, ipsorum pulmonum glandulas fontem agnoscunt; quæ in ventriculo, intestinis occurrunt, detectæ duplicis sortis, extraque ea pancreas excipiunt sæpè è M. S. copiam variorum humorum, quos tanquam sarcinam huc deponunt, undè *fluxus varii*, *Diarrhœa*, non malè hinc nonnunquam à toto dictæ; *Colliquativi* fluxus utrumque & sanguinis & glandularum vitium longè majus & funestum sequuntur: Renum glandulosæ texturæ debetur *Diabetes*, si non illa rarior species, quæ ventriculo adscribitur, communior tamen altera, quâ magna quantitate urina ferè non tam fluit quàm funditur, nunc acrior, salsaque, nunc insipida ferè, serosa, &, uti blandus ignis demonstrat, lactea seu chylota, secedente nimis facîle, antequam assimilatus fuerit, chylo per patulas glandulas. Quæ in ambitu corporis cutim occupant glandulæ,



læ, nonnunquam quidem nil aut parùm secernere videntur, ut citiùs aqua è pumice exprimi posse videatur, econtra tamen instar totidem foraminum emittunt *sudorem*, ad leviozem sæpè sanguinis alterationem, non rarò nimis molestum, *nocturnum*, & colliquativum.

X.

Differentias alias speciales plures, cùm ex adductis facilè id fieri possit, recensere supersedeo. Ratione autem accidentium, serum quod hic vel ibi excernitur unam atque alteram in praxi notatu dignam exhibet. Contingit enim nonnunquam fluxus talis *tanta in copia*, qui non terrorem saltem ægro injicere possit, sed & Medicum in admirationem rapere, undè materia pro fluxu tam diuturno tam copioso, & qui ipsam corporis molem adæquare, si non excedere videtur? Ut Diarrhœæ, tusses, vomitus &c. exempla dant. Est nonnunquam *epidemicus*, dum passim plures affici similiter notantur, à communi quadam, communem quam respiramus auram inficiente causa, unde epidemicæ tusses, coryza &c. Sæpè non sine *contagio*, quo alter facilè inficitur, similem passurus seri fusionem. Ipsum excretum modò *mite* magis est, & *blandum*, modò *acre*, *salsum*; Ut aqua aliàs promptè salia solvit & imbibit, ita & in corpore saporibus peregrinis facilè tingitur: hinc nonnunquam dolorificum, excorians, stimulus, cui ob ipsam talem rodendi vim phlogoses, ardores, inflammationes nonnunquam jungi solent; modò *tenuè*, modò *crassum*, *viscidum*; Lympha aliàs & serum, ibi extra hic intra sanguinem dicta, igni admota concreescere solent: indè & hic vel à calore sub mora inspissatur, vel ab acido juxta Quosdam inspissatur, à contactu quoque aëris externi alteratur; Hinc modò *crudum*, modò *coctum*: Coctio præterquam materiæ febrili & purulentæ, sero quoque tribuitur, & in citatorum affectuum pluribus pro diversitate temporis, initio cruditas, succedente tempore coctio, ibi accusari solet, hic laudari & desiderari. Respicit utraque seri secretionem & excretionem, cum hæc fieri nequit ob serum in & circa glandulas molestum quidem, nec dum tamen vel ob propriam ineptitudinem vel partium obstructionem secretum, aut tenue solum parcum, acre in statu cruditatis, cui vel proprio partis robore, vel adjunctæ medicamentis succedit coctio, quæ copiosiore evacuatione, in qualitatibus quoque alteratione, inspissatione, se manifestat.



## XI.

Signa causarum & morborum hætenus adductorum partim in ipso contextu continentur, facile evolvenda & colligenda, partim cum morbis sæpè in oculos incurrunt, cætera tandem specialissimæ sunt considerationis, quam aliæ occasione reservamus. Prognosis in generalibus hisce lineis determinari non posse visa, fluxus tamen tales variè nobis sistit; modò ut *salutares*, quæ bono ægri instituuntur, & ad salutem ejus potius tendere creduntur, quin re ipsa ita se habere deprehenduntur, uti coryzæ, diarrhœæ exempla testantur; Imò nonnunquam ut *Criticos*, quibus morbi acuti judicantur, & de subito factâ largâ evacuatione superantur, unde sudores critici, urina talis: Fieri hæc dicuntur à natura, quæ bono ægri invigilat, debentur ipsi illi concursui & coordinationi agentium in corpore humano, quæ juxta texturam ejus singularumque & fluidarum & solidarum partium ad præcipitationem, exclusionem molesti insurgunt, & in pristinum se restituere statum nituntur. His opponuntur mali & sæpius funesti, *symptomatici*, *colliquativi* fluxus, succumbente natura & cum præsentaneo damno atque languore contingentes, in phthisi, hæctica, alvi fluxibus.

## XII.

Methodus medendi primò jubet perpendere, *an sit agendum*, sive an Medicus consideratis indicantibus ita rem constitutam deprehendat, ut curam Medicam expostulent vel admittant, an verò robore naturæ superari queant, aut e contra omnem opem Medicam videantur eludere? Hic non est agendum in levioribus malis, qualia jam olim à natura sola curata novit Medicus, & hic quoque curata iri prævidet: Non etiam est agendum in fluxibus salutaribus & criticis, ubi vel spectatorem solum vel si opus sit moderatorem agit, quæque debite judicari videt, nec turbat contrario motu, neque supprimit aut citò nimis sistit. An agendum sit in gravioribus casibus, e. gr. colliquativis excretionibus, ubi spei vel omninò parum vel nihil superest, prudentiæ Medicæ relinquo determinandum. *Quid extra hos casus agendum sit*, quæ indicata causæ morboque destinanda, Canon contrariorum docet & suppeditat, *Seri scil. copia est imminuenda, motus aver-tendus, fusio cohibenda, intemperies corrigenda contrariâ, tonus glandularum firmandus, ductus & orificia stringenda, acre, stimulans re-*



*movendum, destruendum, modò tenue incrassandum, modò viscidum resolvendum.*

XIII.

Ut his Indicationibus satisfieri possit, adeundi sunt Fontes Medici, Chirurgicus, Pharmaceuticus, Diæteticus. *Primus* sistit *fonticulos*, defluxionibus jam olim destinatos, quorum usum hîc non vindicabo, fuit enim id ipsum præstitum & resolutæ, quæ objici solent, rationes ab *Excell. Dn. Præside in Disput. de Polypo narium aquoso*. His junge ratione operationis non dissimilis *setaceum, vesicatoria*, quorum singulorum efficaciam atque utilitatem in variis maxime à largiore feri secretionem oriundis affectibus commendavit experientia practica, & confirmat ratio, cum partim ex eodem fonte hauriant & detrahant suum quem fundunt liquorem, ut huc potius quàm aliò fluat invitent, partim constanti fluxionis ordine huic emunctorio assuefaciant serum; ubi non displicet simile de mixtis aqua & oleo, quod Quidam explicationis ergò solent adducere, cum pro ratione humoris quem charta imbibit, modò aqua per eam, modò oleum secernitur. *Scarificationem* neglectam cum plures hujusmodi serosis affectibus sese luere deprehenderint, hinc frequentius & statim temporibus etiam præservativè instituunt. V. S. nisi forte juncta inflammatione, in assuetis, præservationis gratia, in hujusmodi affectibus rarius indicatur. *Parecenthesin* hydropi destinatam, qua cautelas suas, hîc mittimus.

XIV.

*Secundus* offert Evacuantia & Alterantia, dicta quoque Specifica interna & externa, seu Topica. Inter prima occurrunt *purgantia*, & juxta communem divisionem uti biliosis humoribus *cholagoga*, melancholicis *melanagoga*, ita sero in primis hîc accusato opposita, *phlegmagoga* sive *hydragoga*. Verùm cum divisio hæc & electiva strictè purgatio non sint ad palatum hujus seculi, nec talis hîc & tanta in hoc puncto occurrat diversitas, hinc etiam non tam *agaricum, turbith. colocynth. esulam, elaterium*, & cætera *hydragoga*, nec sola, quàm pro diversitate affectus & arbitrio sive Medici, sive ægri huic nonnunquam vel alteri assueti etiam alia commendamus, scopo scilicet serum imminuendi, revellendi, divertendi, cum & portio ejus hac ratione evacuetur, primæ viæ abstergantur, & ut huc potius fluat serum invitetur, parte hac vel illa affecta suum inde percipiente commodum,



modum, quod relatum à practicis exemplum, de nimia feri in glandulis lachrymalibus copiâ sublatâ purgantibus illustrat. Purgantia talia non ferunt omnes fluxus, sed caute agendum jubent, ubi fusio, colliquatio humorum, & ubi jam dum ad intestina tendit (nisi abstergendo heterogenea glandulas vellicantia, iis ablatis commodius postmodum stringentia usurpari & subjungi posse videantur) aut à nimia prægressâ evacuatione corpori loco copiæ feri ejusdem induta fuit paucitas & defectus, unde etiam tenues, acres fluxus, tempus coctionis expectare jubent; Mitiora hîc quoque commendamus præ fortibus, nisi forsan aliquando, non semper, hydropica colluvies talia postulare videatur. Formulas purgantium determinare non opus est, utpotè & facile parabilium & passim occurrentium, crebro usu se commendant *pil. d. succ. Crat. cochiae*, stimulatæ si opus sit granis aliquot resin. jalappæ, diagrydii, non semel modò, sed iteratis vicibus sumptæ.

### XV.

In universum corporis ambitum serum propellunt, & per cutis ductus papillares expellunt vel sudoris forma vel insensibili transpiratione *diaphoretica* sive *sudorifera*, hinc evacuatio, quæ suppressa causæ morbificæ vices agit, hîc libera & debite succedens fit remedium, jungi solet communiter his medicamentis vis siccandi, alterandique sangvinem, agunt enim particulis spirituosiss, sulphureis, volatilibus; hîc præter talia ex *succino*, *C. C. camphora &c.* parari solita non malè commendantur *ligna Guajaci*, *Sassafras*, *juniper. radic. chin. sarsæ parill.* indeque parata decocta vel cum appropriatis spiritibus essentia; dicantur autem talia sero non tam parco, aut etiam ad colliquationem prono, nec subjectis emaciatis, sed in talibus casibus circumspectè agendum. Cum Diaphoreticis multum affinitatis habent *Diuretica*, serum ad & per urinarias vias evehentia, adeoque & evacuandi & avocandi scopo hîc conducentia, simul rarefaciendo, resolvendo, incidendo in similibus casibus laudem merentur.

### XVI.

*Alterantia* pro diverso feri statu variare debent, modò *calida*, *sicca*, *resolventia*, modò *demulcentia*, *incrassantia*, *adstringentia*; Ad priora referimus defluxionibus catarrhalibus in specie dicata *cephalica*, specifica virtute cerebrum fontem illarum respicere credita, ratione tñ.



modi agendi ad hanc classẽ omninò referenda, quatenus & nonnihil discutiendo, & particulis activis, calidis, penetrantibus, ut *Mæ. Sneæ.* ita & glandulis, cerebroque communicatis serofas coërcendo fusio- nem cohibendo, talia se testantur; ex plurib. exempli loco adducamus *aromata, rosmar. majoranam, salviam, mentham, serpillum, betonic. lavend. fl. tilie, lil. convall. sem. anis. fœnicul. lign. aloës, ambram, moschum, succinum, &c.* Et inde parata varia, Tincturas, Essentias, Spiritus, Olea, Syrupos, aquas destill.; quæ singula ipsius analy- seos chymicæ testimonio partes sanguinis sulphureas refarcire, spi- ritus suscitare, tonum partium roborare valent, hacque ratione in- tra suos terminos continere serum fluxile, tum magis convenientia, ubi copia, fusione, crassitie & visciditate peccat serum, quam ubi acre, tenue, parcum. Simile serum sive pituitæ copiam in pectore aggrediuntur plura quidem ex dictis, quibus tamen ex classe Thora- cicorum jungere licet imminuentia, incidentia, resolventia, dyscra- siam frigidiorẽ immutantia, ut *rad. ireos, ari, enula, veronic. sca- bios. hyssop. marrub. benzoen, gummi ammoniac.* Demulcentia, in- crassantia destinamus acriori salso, & tenui sero, e. gr. *mucilagino- sa, amygdal. tragacanthum. jujub. caric. liquirit. bordenm, sperma cet. bol. armen. ebur spec. antib. Pot. Conf. rosar. papav. err. diacod. solid. & li- quid. sp. diatragac. Syr. de jujub. Lohoh. san. & expert.* Imò ad sisten- tia nonnunquam progrediendum, *papaveracea, opiata*, ubi com- mendantur *MP. d. styr. Closs. d. Cynoglossa*, qualia nonnunquam co- piosam nimis & molestam seri, etiam non tenuis, per tussim ejectio- nem & postulasse & optimè rem cessisse notarunt Practici. *Adstrin- gentia* tonum partium atque sanguinis restituentia, conservantia, non rarò quoque in hujusmodi fluxibus, Diarrhœis requiruntur, ut *rha- barb. tostum, tormentill. unicorn. fossil. terr. sigill.* & ex classe *absorben- tium* sive *preparantium* plura quæ seri hætenus adductis vitiis com- modè opponuntur, cum non solum crudum & variè peccantem in- primis viis humorem obtundere, enervare, chylumque adeò ut pu- rior & melior ad sanguinem veniat, præparare valeant, sed & acres, salinas particulas, quæ in sero facillè solvuntur, ejusque anomalias & dyscrasias sæpissimè causantur, imbibere, efficaciam earum sistere, adeoque mixturam sanguinis integritati pristinæ restituere potis sunt, cum illarum vim & efficaciam etiam ultra primas vias se extendere non



una ratione comprobatum sit, talia sunt *Corn. alc. C. C. unicornu, oculi cancrorum, corallia, matr. perlar. crystall. antimon. diaphor. &c.* quorum quædam volatilibus particulis non destituta, diaphoretica quoque & reliquis medicamentis commodè permiscenda. *Cinabarim* à Quibusdam ad præcipitantia relatam cum feri fluorem promovere soleat, in casu, ubi ille non tam augendus, quàm sistendus, præscribere non solet *Excell. Dn. Præses.* Sero ad colliquationem pro-  
no terrea, stringentia nonnihil, inviscantia, & acrimoniam li-  
quantem obtundentia opponi poterunt, quo in casu *TRa antiphtisica*  
*ex sacch. saturn. & vitr. Mart. cum spir. vini* usum sunt, qui ex-  
tollunt. Sero cachectico, fluxili, cum adstringentibus, roboran-  
tibus, aromaticis destinamus absorbentia, ut *spec. diarrhodon. Abb.*  
*diatr. santalon. diaph. Mart. pulv. Cachect. Quercet. &c.*

## XVII.

*Topica* sive externa hujusmodi morbis opponenda conditioni ipsarum partium affectarum accommodari debent, è pluribus hoc loco destinamus oculis *collyria*, naribus *errhina & ptarmica*, ori *apophlegmatizonta*; Respiciunt illa serum vel evacuandum, derivandum, resolvendum, partes aperiendas, vel temperandum, demulcendum, vel incrassandum, ductus occludendos. *Primum* debetur sero copioso, incrassato hîc vel ibi, quod calidis, incidentibus, stimulantibus, masticatoriis & errhinis sollicitari potest, vel in alia parte peccans, medicamentis ut ad hanc derivetur invitari. Materia remedium exhibet pro ore *mastichen, cubebas, pyrethrum*; naribus *pulveres sternutatorios*, liquores item ex *majorana, vitriolo*, & similibus, quo etiam spectat usitatus hodiè *spir. fl. Anthos.* *Alterum* acre, falsum, rodens, inflammationem sibi nonnunquam jungens postulat aquea, blanda, temperata, uti *lac, mucilagines tragacanth. cydonior. cum absorbentibus matr. perlar. corall. preparatis ut alcool.* *Tertium* scil. serum fluxile, partes relaxatæ, patulæ nimis, ad ipsa adstringentia progrediendum, taliaque parti cautè applicanda jubent. His superaddunt alia externa *sacculos capiti, emplastra cervici, balsama, essentias* etiam vertici & temporibus, quæ singula spirituosas partes roborare, diaphoresin promovere, Spiritus suscitare valent.



XVIII.

*Tertius Dieteticus* restringendus est non ad conservationem solum sanitatis & virium, sive ad partem hygieinen, sed & opponendus dispositioni præter naturali, ut ex hac quoque parte indicationi satisfieri queat, & indicato commodum auxilium subjungi. Hic ergo primum removendo noxia, vitare ægrum jubemus id omne, quod thes. VII. in ordine causarum copiosam feri excretionem promoventium adduximus, inter quæ equidem citari & vocari solent quædam omnibus ex æquo ferenda, ea ipsa tamen cautelam admittunt, & partim corrigi, partim declinari possunt; ex altera parte commendamus usum sex rerum non naturalium, ad diversitatem accusatarum causarum morbificarum ad instar remediorum directum. Sit ergo aër temperatus, aut hyberno fluxionum tempore in cubiculo paretur talis; alimenta sero materiam non advehant nimiam, sed corrigantur aromaticis, respiciatur vis quibusdam junctæ aperiens, diuretica &c. unde medicamentosa audiunt, aut aliâs acria sanguinis & humorum spicula temperentur blandis animalium & vegetabilium partibus; Vinum exulet acidum, in quibusdam casibus nimis generosum, copiosum; Si præter vinum requiratur pro potu Decoctum, parari poterit secundarium ex lignis additis ordinariis polychrestis ingredientibus, catarrhosis non inutile; motus corporis moderatus, debito scil. tempore & modo institutus, promovens Diaphoresin, adjuvans liquorum motum, hic quoque scopo & præservandi & curandi commendatur. Ut circa excreta & retenta utrinque limites observentur curæ Medici est, qui & in specialioribus casibus plura determinabit.

T A N T Û M !

DEO T. O. M. pro concessis benignè viribus sit  
Laus, Honor & Gloria.

